

speciosa responsio – tamen pro conuersione illa veterum, quae simplicior et facilior erat, necessario stabilitur quaedam οὐσιώδης σύζευξις vel συνουσία, quam aliqui incepto nomine consubstantiationem nominant, neque hanc effugere vlli possunt, etsi maxime varia comminiscantur. Est enim geminae substantiae coniunctio per aliquem realem respectum. Perspicuum vero est omnes, etsi quidam regulam de vsu non improbant, tamen in vsu ponere duplicis substantiae praesentiam, panis et corporis Christi, quod respectu essentiali copulatum est panī. Et hoc necessario significat synecdoche, videlicet panem esse continens, corpus Christi contentum. Quare valde ridiculi sunt illi, qui prolixè de praesentia veri corporis concionantur et interea profitentur nullam se facere eius ad symbola alligationem. Nam omnes certe fatentur cum pane sumenti non vero aliis praesens esse verum corpus. Item etiam incredulos cum pane manducare [57:] verum corpus, etsi hoc ipsis non vniatur. Manifesta igitur constituitur alligatio substantialis ad symbola. Quantum vero haec opinio differat a pontificia et vtrum necesse fuerit de tali re mouere litem, iudicent prudentes. Ostendant quaeso discrimen suae sententiae et papisticae et doceant, quid mali sit in sententia scholasticorum prae ista. Nituntur pontificij simplici sono vocabulorum, quae putant significare conuersionem substantiae panis in corpus. Isti reiecta ea mutatione fingunt geminam substantiam panis et corporis realiter vnitam. Estne haec differentia leuissima tanti momenti, vt sententiam veterem ita atrociter oppugnare necesse fuerit? Perierit sane substantia panis sicut verba videntur significare, tamen, cum accidentia sint reliqua et ea sola sensibus manifesta sint, recte panis adhuc respiciendo videlicet ad nostros sensus ita nominatur, neque ea opinio prorsus in vllam articulum fidei impingit neque plus ex illa mali quam ex altera extrui potest. Et Lutherus ipse fassus est μετουσίαν statuere vel non statuere esse ἀδιάφορον. Videte igitur, quam belle congruamus cum idolomania pontificia. Imo aperte profiteor modum praesentiae scholasticorum, praesertim posteriorum esse magis rationabilem et verbis ruditer intellectis viciniorem quam istorum, qui toties haerent in manifesta a contradictione et ex priuato arbitrio ea proponunt, quae neque veritati neque sibiipsis constant. Sed iam audire mihi videor censuras quorundam, qui seuerè increpant nos, quod modum praesentiae, qui tamen imperuestigabilis est, inquirere et mysteria Dei vt loquuntur scrutari audeamus. Verum cogitent vter coetus veram reprehensionem mereatur. Nos omissis omnibus disputationibus de symbolis, quae scimus naturam suam prorsus non mutare, docemus, quid in ista actione praestetur homini et propositionem Christi sacramentalem simpliciter sacramentaliter, hoc est de efficacia ipsius in credentibus cum ista caeremonia ministerij intelligimus. Isti econtra ista absona de vnione veri corpo-[58:]ris cum pane extra et praeter verba euangelij proponunt, vt necesse sit ea refutare. Quare sciant nos non mysteria Dei, sed somnia conficta ex imaginatione humana et pugnantia cum articulis fidei scrutari et damnare atque ita sese accusent. Posteaquam ostensum est, quae sit congruentia harum opinionum,